


ANN. XVI - FASC. V


MENSE MAIO MCMXXIX

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integral ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 350 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 700, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVI

Romae, Mense Maio MCMXXIX

Fasc. V

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXIX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

FELIX RAMORINO

Lugubri cultu et hic Commentarii nostri fasciculus induitur, eoque graviore, quod scriptorum nostrorum splendidum lumen et præclarissimum ornamentum, Felix Ramorino, pridie Kalendas huius mensis Maii, septimum supra septuagesimum annum agens, sanctissime, uti vixit, vita functus est.

Eum paucis abhinc mensibus, Florentiae, in sua domo inviseramus; et licet senectute iam, brevi tempore, valde affectum ex habitu corporis reperissemus; ipse autem de acerrimo stomachi torpore nobiscum quereretur; tantam adhuc conscientiam tamen, et ingenii acumen in eius colloquio, tamque firmum perficiendorum de variis argumentis laborum propositum deprehendimus, ut antiqua viri confidentia apud nos omnino revocaretur, et quaevis ob infirmam eius valetudinem sollicitudo aut metus longe

prorsus abiret. Itaque in discessu salutatio fuit non omen, sed fides, ut, hieme occidente, eum Romae essemus iterum visuri.

Non is vero rediit; at eius parva epistola, filiae manu scripta, ad nos pervenit, in qua - o anima candissima! - sese excusabat quod, deficientibus quotidie viribus, nequirit partem, quae ultima esset, de latinarum litterarum historia prælectionum exarare, eamque ad ALMAM ROMAM vulgandam mittere.

Deinde mortis nuncius...

Cuius luctuosa commotione perciti, non nos de viri plurimis litteris, civilibusque et religiosis virtutibus scribere tentabimus: locum libenter cedimus collegae et successori suo in Ticinensi athenaeo, itemque uni ex eius discipulis - et quot fuere! -, quibus pater, dux et comes exstitit humanissimus. Nos potius defunctum etiam nunc in his paginis lo-

quentem inducemus, eius scriptum repetentes, quo, in certaminis nostri pro latina lingua primordiis, nempe Kal. Ianuariis MDCCCC, - erat tum commentario *Vox Urbis* titulus - quasi meta nobis constituebat.

Vale, o meritissime; qui te multum dileximus, non tantum lacrimas damus, sed promittimus, usque dum vires ferant, nos in via, quam nobis proposuisti, semper instituros. Ita enim credimus memoriam tuam digne nobis esse prosequendam!

I. F.

DE FELICE RAMORINO

Tristis erit sane huius Commentarii lectoribus mors praeter opinionem allata Felicis Ramorino, qui suas per aliquot annos his paginis de Latinarum litterarum historia concinnas in brevitate disputandi *Praelectiones* evulgavit. Non enim sine fructu et iucunditate eae *Praelectiones* legebantur quippe, quae, omni eruditionis apparatu de industria intra exiguo fines cohibito, illud tamen offerrent quod praecipue lectorum interesset et recentiores studiorum scientiaeque pvestigationum exitus amplecteretur. Atqui tanta ingenii ubertas, quae videbatur diu doctrinae rivulos effusura; tantus vigor mentis, quo novi quotannis fructus sollertiae non defatigatae in lucem edebantur, insidiis dolisque morbi praeter exspectationem cessit!

Non est hic tempus de eo latius et diffusius, ut par sit, dicendi. Magnam vero iacturam fecerunt schola et disciplinae philologicae, quas ille acriter excolluit. Multum in scholae usum laboravit

et peropportuna discipulis adminicula largitus est; diuque in bonarum artium cultum promovendum incubuit, adeo ut plurima eius extant scripta, quae luculente testantur quanto opere latinis litteris illustrandis vacaverit. Neque dubitaverim affirmare praecipuum eius laudem illis pertractionibus niti, quibus naturam versus Saturnii funditus scrutandam suscepit. Quo tempore enim magna erat inter doctos contentio, utrum versus Saturnius ad rythmum tantum compositus esset, an ad syllabarum mensuram accommodatus, et externi viri huic rei demonstrandae pro sua parte ingenii acumen conferebant, etiam apud nos Felix Ramorino admodum iuvenis iuvenilique ardore percitus, in certamen descendit et rhythmicam naturam strenue confirmavit. Disputatio illa, quam voluit, amicitiae obsequique munus, deferre clarissimo viro Kellero, Universitatis Pragensis doctori, hodie quoque testimonio est quanta is fuerit peritia in re haud facili investiganda. Etiam nunc de Saturnii ratione disputatur, et disputationum series non deficit, ab iis qui ab utraque sunt sententia; nec me fugit quibus locis Ramorino in hac re doctrina reprehendi possit quotve vulnera in se accipiat; sed quotiescumque Saturnius in quaestione versabitur, semper Felicis Ramorino nomen occurret, quippe qui ardenti animo pro Kellero steterit, nonnullas eius rationes valide defenderit et novis argumentis tutatus sit, alias vero funditus everterit. Neque hic silentio praetereundum est, quam diligenter in versus latinos proferendos inquisiverit, ad verborum mensuram compositos, quum indagare voluerit quomodo mensurae sensus paullatim oblanguesceret, iudicii sanitate iam diu corrupta et litteris a pristino splendore degenerantibus, et quando vis accentus dominari coepisset. Quas omnes quaestiones enucleandas et penitus absolvendas suscepit, quum

litteras latinas in hoc perantiquo Ticinensi Gymnasio docendas traderet.

De litteris latinis alibi, et magno auditorum frequentia, praecepit, donec inter Universitatis Catholicae Mediolanensis professores adlectus et cooptatus est, extremum docendi curriculum expleterus. Abhinc duobus annis honesta eius missio sollemni caerimonia celebrata est magno amicorum, collegarum, et discipulorum conventu. Tum extremam suam orationem habuit studiis auspicandis, et quidquid ipse in litteris latinis illustrandis perficerit, breviter percensuit: sub finem autem dicendi, magno plausu magnoque auditorum commotione, quod sibi tractandum maneret edocuit, et quam libenter, etsi publicis muneribus remotus, Deo adiuvante, confecturus esset.¹ Non illi corporis firmitatem et vigorem mentis denegares: adeo suis viribus fidebat, ut de se nova aggrediente bene sperare posset.

Scriptorum christianorum litteris evolvendis plurimum insudavit; et satis sit eius commemorare studia in Tertullianī *Apologeticum* et Minucii Felicis *Octavium* diligentissime collata. Varia latine conscripsit, eiusque stilos simplex, facilis, omni fuco phalerisve orationis abhorrens, latinae linguae peritiam ostendebat. In re critica haud parum versatus est; scriptoribus emendandis operam dedit, multosque interpretatus opportunis commentariis instruxit; quaenam fuerit latina poēsis antiquissimis Romae saeculis, quanta laude apud gentes Tacitus floruerit et quam acriter eius scripta pervolutata sint inquisivit. Et alia id genus omitto. De eius meritis in antiquarum litterarum studia palam dicunt doctorum hominum symbolae, quas Universitas catholica Mediolanensis, laudabili quidem consilio, in volumen congregavit.

¹ Relata in nostris paginis haec oratio est, mense Decembri MCMXXVII. (A. R.).

Alii praedicent eius animi virtutes: liceat mihi tantum festinanter commemo rare sensus christiana Fidei accommodatissimos, amorem in discipulos, quod omnes benevolentia et consilio semper prosequutus est; studium, denique, quo italicici ingenii decus ac splendorem unice respergit.

Scribebam Ticini a. d. v Id. Mai. anni MCMXXIX.

MARCUS GALDI.

IN OBITUM FELICIS RAMORINI

Duos abhinc annos, mense Maio exunte, Mediolani, in clarissima Studiorum Catholica Universitate, quum frequentes in Magnam Aulam tum iuvenes litterarum studio dediti, tum omne genus eruditii homines convenissent, ultimam clarissimi Ramorini acroasis audituri, iidemque apertissimum amoris testimonium tanto magistro reddituri, qui post tot adsidui laboris annos in tua domus otia esset recessurus; supremus ille Catholici Athenaei moderator Augustinus Gemelli, postquam maximis, quae debebantur, laudibus amplissimum virum Felicem Ramorinum extulisset, haec ad rem hominemque accommodata et quam maxime apta Ecclesiastici verba, concludendi causa, adiecit:

« Beatus vir qui inventus sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in ita sua ».

Quem duos abhinc annos, spectatum satis et donatum iam rude Magistrum, amplissimis honoribus ea die condecoravimus, magnoque desiderio atque animi votis ab Athenaeo discedentem prosequuti sumus, nunc vita functum lugemus omnes, quotquot tanti Viri effigiem in animis nostris insculptam ac paene intimis sensi-

bus implicatam habemus. Nam nemo unquam, vel discipulus, vel comes in studiis, vel doctrinae admirator, ad eum accessit clarissimum pietate Virum Magistrumque doctrina excellentissimum, quin amore atque admiratione incensus abiret, eiusque bonam tamquam patris imaginem et dulce recentem penitus corde suo servaret recoleretque gratam.

Tot tantisque quidem enituit Ille virtutibus ac meritis, vix ut tanti viri species atque imago paucis heic adumbrari possit. A nativa enim quadam ingenii bonitate ad immensum liberorum amorem; a mira illa morum integritate ac probitate ad singulararem, qua unus praestitit, rerum divinarum christianaque religionis observantiam; a summo laboris atque industriae studio ad ditissimam illam tum doctrinorum, tum ingenuarum artium, ne musica quidem excepta, cognitionem et copiam, cuncta vir ille clarissimus cumulavit unus, adeo ut aut nemo, aut, si quisquam, ille quidem dignissimus videatur, de quo memorentur Horatiana:

*Quis desiderio sit pudor aut modus,
tam cari capit?*

Multis sane bonis Ille flebilis occidit, at nulli flebilior quam innumeris Eius discipulis, qui, quamvis nondum tempus advenisse videatur, quo Eius merita summa recenseantur et illustrentur, apertissimum iam nunc testimonium reddere poterunt, qua diligentia, quo amore, qua doctrina adulescentes latinarum litterarum studio deditos erudierit, qua morum integritate, quo vitae puriter actae exemplo, qua in omnibus denique rebus dignitate omnes ad veram adeptandam laudem vehementer excitaverit.

Quo etiam magis tanti Magistri obitum lacrimis prosequemur:

*... Cui Pudor et Iustitiae soror
incorrumpa Fides nudaque Veritas
quando ullum inventet parem?*

Neapol.

JOSEPHUS MARRA.

De renovando latinae linguae usu

Perspicuum est res humanas attentis oculis consideranti, omnes quot in orbe sunt gentes ac nationes, exeunte hoc saeculo nostro, multo arctioribus quam antea vinculis inter se contineri. En barbarae gentes, quae in Africa et in nonnullis Americae partibus adhuc sunt, iam non auram sed, paene dixerim, flabra humanae undique spirantia sentiunt; mercium commutatio per totum orbem fit in dies maior largiorque; viae quoquoever sus ferreis regulis sternuntur, et naves maximae molis fabricantur, earumque ope vaporis vi tracti catervatim vehuntur homines a meridie ad polum, ab oriente ad occidentem; inventa ad vitae usum pertinentia statim ac facile ab alia in aliam gentem accipiuntur, propagantur, in communem utilitatem adhibentur. Quid tantum abest ut omnia in unum conspirent, et revera efficiatur quod divus Ioannes praedixit, ut fiat unum ovile et unus pastor?

Sed sensibus et animis hominum tam amice coniurantibus repugnat vehementer diversitas linguarum, quibus ipsi utuntur.

Ut enim regiones terrae naturae saepe obstaculis, vel altis montibus vel oceano dissociabili, separantur, transitusque ex altera in alteram fuit interdum difficiles arduique laboris pleni, ita inter populos naturale quasi saeptum efficitur diversitate sermonis, quae non solum ad sonitum vocis aut loquendi modum, aut flexionem verborum, aut universum grammaticum genus pertinet, sed ad ipsam mentem et ad cogitandi et sentiendi rationem. Verum ut obstantia regionum industria hominum inde a vetustissimis temporibus superare studuit multumque valuit, ita varietate linguarum non deter-

ri debent humanae gentes a communione utilitate querenda.

Montes effossi sunt; cur non cuniculos quosdam inter linguas hominum aperiemus, praesertim si res sit inter homines exquisitoris doctrinae?

Nunc certe eo redacti sumus, ut quum doctrinae finibus provehendis non Angli solum utriusque orbis aut Germani aut Francogalli inter se certent, sed etiam eodem nobiscum contendant non sine laude et Russi et Hungari et Bavari et Dani et Suetiae Norvegiaeque incolae, commentationes quae quotidie de variis argumentis apud has gentes eduntur, sua quaeque lingua conscriptae sint; ideoque quum omnium intersit eas statim legere et per voluntare, nequeat id facere nisi qui sit omnium Europae linguarum doctus et peritus. Quod quidem quis ferre potest in his angustiis temporis, in hac quasi praecepiti vivendi festinatione? Si igitur contendo remedium huic malo quaerendum esse, quis me improbat? praesertim quum exemplo sint nobis vel mathematici algebraici sermonis repertores, vel classiarii totius orbis vexillulis quibusdam inter se ex constituto optime significantes.

Remedia autem tria excogitari possunt; nam aut inter linguas nunc a gentibus usurpatas quaedam eligitur a doctis hominibus scribendo loquendoque adhibenda, aut novam quandam ad rem nostram aptiorem arte et ingenio excudimus, aut denique ad patrum nostrorum consuetudinem redeuntes latinam linguam denuo usurpamus.

**

Linguarum quae hodie in ore hominum feruntur, duae tantum mihi videntur ad honorem linguae communis adspirare posse, anglica et gallica.

Fuit quidem tempus superiore saeculo quum, dominante per Europam Franco-gallorum philosophia, sermo etiam galli-

cus ab omnibus fere usurpari coepitus est; ipsa *Academia scientiarum* Berolinensis in actis suis per aliquot annos ea lingua usa est. Sed nunc ea res in desuetudinem venit, et licet gallicus sermo etiam nunc multus sit in regiis aulis et in consiliis rerum publicarum, at non videtur eam vim habere, qua opus est, ut communis fiat. Contra, multo praestat gallico Anglorum sermo, qui dimidia fere orbis parte vel usurpat vel intelligitur, cuius grammatica ratio tam simplex est, ut omnes difficultates vel discendi vel retinendi amotae esse videantur, quem denique magna scriptorum copia non solum in Europa, sed et in America et in India cum anteacta aetate illustravit, tum etiam nunc quotannis illustrat. Nihilominus nego anglicam linguam doctorum colloquiis totius orbis aptam esse, praesertim propter pronuntiandi difficultatem, et quia communis sermo is demum esse potest, qui omnibus acceptus nullius gentis invidiam excitet, quod multis de causis de anglica lingua haud licet dicere. Concedo quidem eam esse negotiationibus prae ceteris aptissimam, et auctor ero omnibus qui commercio cuiusvis generis dant operam, ut hanc perdiscent, in succum et sanguinem convertant, adeo ut scribendo loquendoque ea uti valeant. Confugiemusque igitur ad linguam arte et ingenio excogitatam? Id dupliciter fieri potest et factum est; nam vel lingua fingitur serie quadam constituta numerorum et signorum, quorum vis et sententia praefinitur; vel sermo fabricatur syllabis et vocibus praefinitae pariter significacionis. Linguam arithmeticam et algebraicam excogitarunt praeteritis saeculis vel Athanasius Kircher, Romanus, e Soc. Iesu, conscripto opere, cui titulus: *Polygraphia nova et universalis ex combinatoria arte detecta* (Romae, 1663), vel Solbrig Berolinensis, auctor *Scripturae cuiusdam oecumenicae*, quae vulgata est in actis Aca-

demiae Berolinensis anni 1726, vel, inter recentiores, Ferdinandus Hilbe Velcuriensis (*Feldkirch*), qui opus cum titulo: *Neue Weltsprache auf Grund des Zahlensystems a. 1898 ad Berolinensem Academiam misit.*

Sermones autem syllabis et vocibus arte digestis compositi notissimi sunt qui dicuntur *Volapük* a Schleyer Constantino (*Konstanz*) invictus, et *Esperanto* a doctore Zamenhof Grodnensi (*Grodnio* in Russia) effectus; utque multis operibus et commentarii illustrati, utque inter studiosos totius Europae satis diffusi. Sed haec omnia artifia parum apta esse ad id quod quaerimus, id est ad sermonem quemdam inter cordatores viros communem constituendum, quis neget? Quis non haec mecum tamquam lusus exigui pretii iudicabit?

Restat igitur exoptatum a nobis remedium in renovato usu latini sermonis quaeramus. Quidni? Qua lingua Keplerus, Leibnitzius, Linnaeus totque alii summi viri doctrinas suas omnis generis exposuerunt; qua lingua nulla non aetate usus est Catholica Ecclesia, haec quisquam dubitat an ad omnes disciplinas apta sit atque habilis? Ipsa *Vox Urbis* in pagellis suis multa dedit exempla luculentissima, quam facile atque eleganter de quovis argumento latine dici possit.

Scilicet latinitatem Ciceronianam nemo tam stultus est qui quaerat in doctorum sermone; sciunt enim omnes quod Lucretius iam dixerat:

ornari res ipsa negat contenta doceri;

et novorum verborum condendorum facultatem, quum usus est, nemo sapiens interdicit.

FELIX RAMORINO.

¹ V. Festrede über Leibnitz und das Problem der Universal Sprache, in *Sitzungsber.*, 22-29 mens. Iunii 1899, pag. 534.

At sunt qui difficultate rei deterreantur, et desperatione debilitati experiri id nolint, quod se adsequi posse diffidant. Istis auctor ero ut vincant animum et in campum prodire non deginentur; videbunt rem faciliorem esse quam suspicantur. Iam profecto omnes usque a teneris unguiculis latinum sermonem didicerunt; cuius disciplinae fructus uberriores erunt quum via et ratio docendi ad id ipsum quo contendimus spectet; deinde non desunt exempla summorum virorum, quae qui vult imitari possit; denique stili exercitatio viam muniet non asperam et laboriosam, sed facilem et cuivis apertam. Ceterum nonnihil laborare par est, qui rem magnam et magnopere expetendam concupiverunt. Et est profecto magnopere expetendum ut latina lingua communis fiat inter viros exquisitoris doctrinae, ut eam constanter usurpent in scriptis, in praelectionibus academicis, in congre- dientium colloquiis.

Id iam in votis est cordatorum hominum; ipsa Berolinensis Academia mense Iunio MDCCXCIX, verbis celeberrimi viri qui erat a secretis eius, Diels, idem votum sollemniter expressit.¹ Mihi quoque iam finem facienti clamare liceat: Utinam latina lingua in communem usum litterarum hominum veniat, et formula nostra sit: *ANGLICUS SERMO UNIVERSAE NEGOTIATIONIS; LATINUS DOCTRINARUM OMNIUM ET DISCIPLINARUM COMMUNIS HABENDUS EST.*

MENSE MAIO

VIRGINI RODIANAE IN VESTINIS.¹

Rythmus.

*Te collaudet gens Vestina,
Orbis Mater et Regina,
Imperantem Rodii.*

*Tibi, circum speciosi
Plaudunt colles, et formosi
Saxi vertex Itali.*

*Te salutant urbe et valle
Clara templa, ex omni calle
Culta tabernacula.*

¹ Prope urbem Aquilam, ad meridiem, in summo colle, quem vulgo *Rodo* finitimi appellant, *Sanctae Mariae de Cruce* templum surgit. In hac sacra aede, cuius muri quadrataeque turris, temporis lapsu, subfusci evaserunt, intus vero omnia ex marmore subrubro pellent, insigne simulacrum Virginis, in ara maxima exstat; de quo haec traduntur:

Adolescens, unus ex pastoribus, qui adventante hieme, ex Vestinis montibus in Apuliam gregem agunt, oves amiserat, eisque in agris et saltibus frustra quaesitis, in silvam delapsus fatigatus constitit. Diu lacrimatus, Beatissimae Virginis supplicavit, ut ei succurreret. Ploranti adfuit Beata Virgo circumfusa luce, deiectumque animo adolescentem erexit, docens qua errantes reperi posset. Attonitus iuvenis surrexit, oves inventis, ad socios pastores accurrit, prodigium aperuit.

Quibus in silvam properantibus, simulacrum, eo ligno, Virginis Deiparae inter brachia puerum Iesum tenentis, materno suavi adrisu, obiicitur.

Quid faciant? Deiparam venerati, ad pastorales casas statuam portant, ibique devoto cultu prosequuntur, donec, vere novo, equo eam ad Vestinos vehunt. Interea ubi equus tali onustus sarcina, ad collem Rodianum, templum proprie iam divo Leonardo sacrum, pervenit, pedibus innixus, ultra progreedi repugnat. Quod quidem ab ipsa Virgine dispositum esse censentes, finitimi incolae, qui convenerant, in Leonardiano templo statuam erigunt. Vulgata fama, patratisque prodigiis, aram Virginis totamque fere aedem marmore proximo colle excavato, exornant. Sanctuarium hoc, *Sanctam Mariam de Cruce*, a Redemptionis signo haud procul erecto, nomen nactum, Vestini assidua religione colunt.

*Unde nobis advenisti,
Cara mater, aut quā fuisti
Priscis nota historiā?*

*Puer, custos armentorum
In Apulia, dum locorum
Campis errat incius,*

*Non invenit oves caras;
Fundens lacrimas amaras,
Huc et illuc queritat.*

*Fractus via, fervens orat
Christi Matrem, multum plorat
Tendens palmas supplices.*

*Ecce appetat fulgens pia,
Solans miserum, Maria,
Oves sparsas indicat.*

*Gestit puer post labores,
Vocat alios pastores
Ad videndam Virginem.*

*Venientes non visionem
Cernunt, Divae sed iconem
Iesum habentem brachiis.*

*Lapsam caelo? vel pastorum
Sculptam manu? vel piorum
Huc celatam manibus,*

*Turpe bellum cum saeviret
Contra icones, nec finiret
Stulti culpa Isaurici?*

*Nunc fideles catervatim
Appropinquant et certatim
Visunt, tangunt, excolunt.*

*Tunc pastores sub agreste
Tectum deferunt caeleste
Simulacrum Virginis.*

*Ibi menses sex manebas,
Alma Mater, nec spernebas
Vilis cultum tuguri.*

*Hiems transit, vernant flores;
Rursus montium, pastores,
Remigrate ad pascua.*

*Cur non alis Angelorum
Virgo venit, aut decorum
Currum calcans regium?*

Super equum placet vehi.
 Miti gressu, Mater Dei,
 Dum portenta incipiunt.
 Veni, Mater, veni ad montes,
 Veni ad urbem, veni ad fontes,
 Qui de saxo immurmurant.
 Equus ubi ad collem vexit;
 Rodum prope genuflexit,
 Nec vult ultra progredi,
 Sistunt super colle, in aede
 Leonardi Sancti, in sede
 Simulacrum collocant.
 «Templum novum nunc ponamus,
 Clamant pii, nunc faciamus
 Matri tabernaculum».
 Ecce domus tam dilecta
 Auro fulgens et obiecta
 Intus rubro marmore.
 O quot veniunt festini
 Monte et valle peregrini
 Invocantes Virginem!
 Culpas pliant, canunt, orant,
 Mensae accumbunt; non laborant
 Aestu, famè aut frigore.
 Imbre quanto gratiarum
 Pluit turbis, et bonarum
 Rerum fons hic exsilit!
 Tuque testis peste victa,
 Urbs, vos arva derelicta
 Liberata Virgine.
 Testis moestus testis lassus,
 Tot dolores vitae passus
 Huc de longe aspiciens.
 Cara Mater, audi vota
 Cleri, plebis, et devota
 Concinentum carmina.
 Cerne ab alto sospitatrix
 Urbem, pagos, et placatrix
 Vis descendat gratiae.
 Aegros fove, tristes mulce,
 Paradisi, per Te, dulce
 Sit extolli ad gloriam.

Romae, mense Maio MCMXXIX.

ANGELUS NARDIS.

BEATORUM HONORES DECRETI IOANNI BOSCO

Die xi ante kal. Maias huius annis SS. D. N. Pius Pp. XI sollemniter decrevit ut inter Beatos caelites Joannes Bosco connumeraretur, qui memoria nostra tum virtutibus, tum operibus insignis, Subalpinorum nomen potissimum renovavit.

Etsi fortassis pluribus rem actam facere timeo, hanc vero per brevem narrationem laeto animo insumam, haud mihi ingratam et memoratu ceteris dignissimam. *Alma Roma*, pietatis gratia atque grati animi, hunc sanctissimum virum amore prosequi potissimum debet, quod latinum sermonem unice diligebat et colendum pro viribus procuravit. Quin imo, magna equidem animi audentia, primus in Subalpinis fabulas latine compositas suos alumnos agere docebat, ut vel ludendo latinum sermonem arriperent eumdemque germandum.

Ioannes Bosco, anno saeculi elapsi decimo quinto, humili loco natus est Castrinovi in Astensis. Infans et puer arduis in rebus miram paupertatem pertulit, et semper in exemplum dulcedinis et pietatis omnibus enituit. Nec sane mirum: missus ad pasculum, mitis ingenio, ad religionem pronus, singulari se gessit verecundia inter aequales; lites eorum dirimere, faciles rixas componere coepit; et ubi is adest, haud turpia verba exaudiri, nec locos lascivientes exerceri patitur; saepe preces inserit, et verbis ad se iucundis alios advocat, haud rare librum lectitat, saepissime quae in templo arripuit, mirabili sermonis abundantia atque dulcedine repetit, et omnes identidem industrius ad sacramenta rite accipienda disponit.

At licet rerum familiarium caritate premeretur, vel inter labores atque angustias

adolescentiam transigeret, omnia hilari vultu passus alacriori spiritu, ad sacerdotium, Deo adiuvante, contendit.

Sacerdotio auctus, ut animum ad theologiae moralem acrius adiungeret, Augustam Taurinorum petiit, ubi sub disciplina sanctissimi viri, Beati Iosephi Cafasso, brevi post tempore, ad munus ei divinitus permisum mirabiliter sese adhibuit.

Quum plurimos saepe puerulos vagos errantesque per urbem cerneret, misericordia motus, ad se naturali studio atque hilari trahebat, eosque prima christiana sapientia rudimenta docebat, et omnes ad S. Francisci Assisiatis templum invitabat. Quum puerorum numerus in dies cresceret, in Urbis partem Septentrionalem, cui est nomen *Valdocco*,¹ se contulit.

Ibi suarum rerum caput ac fundamentum posuit.

Quo enim melius atque commodius iuvenibus consulere posset, qui artibus liberalibus operam navarent, vel scholis gymnasii animum incumbenter, consilium fuit scholas aperire atque officinas, in quibus sacra tecta christiana doctrina, omnia traderentur quae ad temporum rationem admodum composita, et omnibus instrumentis novisque inventis, quibus aetas nostra maxime percrebrescit. Ea enim aetate, praesertim in Subalpinis, scholae, pestilenti veluti sidere afflatae, maxime laborabant; et ipsa religionis sanctitas magno in periculo versabatur.

Ut patrum religio incolmis servaretur, nihil antiquius habuit, quam alumnos sibi similes efficeret, atque sic Subalpina soboles iis artibus formaretur, quae ad humitatem pertinent.

Per idem tempus, Subalpinam regionem improba Petri Valdi pravitas, ex suis septis

¹ Quasi *Vallis occisorum*. Ibi enim dicitur magnum Constantini praelium fuisse ad portas Augustae Taurinorum pugnatum quum Urbem peteret, cum Maxentio dimicaturus.

Pinarolii egressa, misere invadere coepit. Tunc viri nostri maxima exstithit virtus, qui ut haereticis pro viribus obsisteret, urbes pagosque irrumpentibus, et populi pietati consuleret, complura edere coepit volumina, quae haereticam improbitatem obtunderet, atque ab adversariorum incursionibus religionem, Pontificem Maximum vindicaret, et alumnos in spem ecclesiae litteris atque optimis disciplinis informaret.

Nec suos quoque carissimos opifices negligebat.

Quo facto, complures sacerdotio aucti et artium liberalium magistri per Subalpinos primum, mox per totam fere Italiam diffusi, prohibuerunt pro viribus, ne novi eius aetatis errores, veluti tabes, Italos peraderent.

Missiones sacras populis ad pietatem excolendis adhibuit primum ad Americanas regiones, quae ad meridiem pertinent, et postea in diversas orbis terrarum partes. Hinc factum est, ut illa tellus, quam vere ultimam appellamus, atque a foco designatam cognovimus, suas habeat scholas, ubi Missionarii industria, homines nuper barbari ad humanitatem effingantur.

Sua aetate eae res in Europa agitabantur, quae omnium fermè imperiorum quietem perturbarent. Lenes primo rumores, quaedam philosophorum placita in scholis agitata; ab incautis ad multitudinem traducta, dum interea factiosi homines, callide iisdem abutentes ad libidinem explendam atroces in religionis maiestatem cooruntur.

Mox omnis Italia, veluti ex composito, a principibus suis rebellat, clamitans se velle in unam gentem sub unius regis imperio esse, et hoc nomine in auctoritatem surgere et vetera iura supremo nisu everttere.

In tanta rerum difficultate atque animorum commotione, mirabilis hominis prudentia apparuit, qui ut tutius tempo-

rum atrocitatem vitaret, optimum duxit sermones omnino effugere, qui de rebus ad *politicanam* spectarent, hoc unum sibi proponens ut sui religionem colant, atque virtutem ament. Hoc sibi modo agendi proposito, non solum pericula hominum vitavit, ipsorum sed auxilium consiliumque mirum in modum acquisivit.

Annum semper aequalem adhibens, vel inter tempora religiosorum familiis contraria, omnibus admirantibus, novam instituit Congregationem, quae in immensum viribus aucta ad universi orbis terrarum fines pervenit.

Infinitus essem si vel obiter vellem plura illa describere, quae fecit homo, quae tulit, quam sudavit et alsit, ut metam sibi propositam contingeret. Haud possum attamen silentio praeterire quae pro Ecclesia et pro Romano Pontifice Maximo, rebus in adversis laborante, re atque consilio perfecit.

Quo tempore Itali Urbem caput regni retulerunt, ipse identidem litteris datis, pectori Pontificis suavissimum balsamum praebuit, ac tempora feliciora auspicatus, quibus non iam asperae spinae paternum pectus dilacerarent.

Mirabilis sane apparuit et multis in praesentiarum laudibus accipitur nova suarum scholarum ratio, quae duobus modo verbis composita, iuuentutem ad pietatem atque ad sapientiam excoli voluit. Ipse enim, divina Iesu Christi doctrina innixus, hoc sibi unice proposuit, atque consilii sui alumnis commendavit, ut pueros asperos utique tactu melius excolant et quos nullo labore ad bonos mores inflectere possint, benevolent usque animo accipient, prosequantur, atque praesentia eos a malo prohibeant. Hoc sapientiae placitum duabus verbis absolvit, atque italice dici potest: *sistema preventivo*.

Vegeta autem aetate etsi infirmo corpore, de Deo disserens deque Matre Auxiliatrice, suis omnia bona auspicatus, laetus

vitam finivit Augustae Taurinorum pridie Kal. Februarias anno millesimo octingentesimo octavo et octogesimo.

Si quis nosse ingenium hominis vult, aio, fuisse eum mediocri statura, forma praestanti, ut primo statim adspectu quivis probum diceret: vividis argutisque oculis, colore suavis, neglecta comptaque natura liter caesarie, incessu dignitatis pleno. Mentem habuit firmam et sapientem; lecta atque audita apposite reminiscebatur, et quae semel didicerat, callebat maxime. Vir promptae accurataeque doctrinae, ea magnis et in parvis minutisque plurimum constitit: et obscurum fallantemque rerum nexum acute praevidebat, atque uberiore quam alii ad multiplicitis doctrinae laudem potuisset eniti, idemque in reconditis litteris et in levioribus praestare. Ne sui, qui litteris iam clarescentes, et ingenuis artibus, laurea doctrinae erant donati, altius aequo saperent, iocose dicebat: « Alii sunt professores, alii philosophi, et magna sapientiae fama crescunt; ego nec humilis sum puerorum magister! Sic obscurus fato cedam! Utinam hac saltem ratione gauderem! »

Laborem et dolorem fortiter supra quam dici potest, toleravit, et nunquam de fortuna seu de hominum vexatione conquestus est.¹ Qui vero vires ingenii in ampliore palaestra ostentare posset, nunquam alicui doctorum scholae adscribi voluit.

Vel inter convivales quaestiones sic peragebat, ut qui ingenium in ceteris non agnoscerent, hoc tamen admirarentur. In

¹ Quum difficultatibus premeretur et multorum opere in periculum irruere videretur, quibus semper incolumis evasit, admirati hoc Ei Torquati Tassi carmen aptabant:

Come palma sublime

Che più s'aderge allorchè più s'oppriume,


Quod vero sic latine dicere poterit:

Altior ad caelum sic tollitur ardua palma

Ventis demitti cum videatur humili.

primis vero mansuetudinem coluit, ac prosequutus est; in una tantum re excepta, contra iniquitatis magistros. Dicere enim solebat: « Ut summae integritatis est in probos odisse, sic magni in litteris atque in virtutibus profectus indicium esse arbitrator, si quis malos scriptores ne ferat quidem; eademque est recti pulchritudine ratio ». Vir summus, dignus immortalitate, cuius memoriam colam, cuique, nihil puto contingere, quam e Beatorum sede videre, me praceptorum suorum memorem vivere, omnibus opibus et viribus adlaborare, ne quod ipse vivus quæsivit religionis et patriæ decus, per ignaviam pravumque ingenium obscurari patiamur.

I. B. F.



AESTHETICAE NOTAE

De musica.¹

Hoc unice certum de Musicae origine affirmari potest, eam ortam esse cum homine, et « melodiam vocalem » instrumentali praecessisse. Sane, natura magistra, homines concitati animi affectus canendo manifestare cernimus. Huic naturali instinctui modulandi favet totius naturae concentus: astrorum motus, maris et fontium voces, ventorum sibilus et flatus, avium modulamina.

Ex naturae notatione inventa sunt instrumenta canora.

Et sephiri, cava per calamorum sibila, primum Agrestis docuere cavas inflare cicutas;
Inde minutatim dulces didicere querelas,
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum.²

Musica, amica templis dicta, ut plurimum religiosa fuit, imo ortum habuisse a

¹ Cfr. fasc. mens. Februarii.

² LUCRETIUS, *De Nat. rer.*, lib. V, 1380-83.

Diis tenuit constans antiquorum opinio; hinc plures mythologicae fabellae confitae sunt. Viguit igitur apud antiquissimos populos musica, sed quanam determinata forma et perfectione dici nequit. Per pauca monumenta supersunt, quibus innixi breviter admodum pro more nostro de historia musicæ loquemur.

**

Primus musicus, quem historia resert, fuit, Iubal, *pater canentium cithara et organo*.¹ Apud Aegyptios, ut appareat ex multiplice instrumentorum varietate, per grandis fuit musicæ cultus, sed redolens indolem istius populi, voluptuosissimam nempe et morosam. Assyriorum instrumenta maximum praebent affinitatem cum Aegyptiacis, ideoque de eorum musica haud dissimile ferendum est iudicium.

Apud Indos et Sinas maiorem perfectionem musica obtinuit, ita ut proprie dictum musicale sistema ipsi habuerint. Idem fere dicendum de Phoenicibus, Persis, etc.

Apud Hebreos antiquissimus fuit usus musicæ. Sacri libri innumeris testimonii referti sunt de Hebraeorum musica tum vocali, tum instrumentalis.

Aetate David et Salomonis musica maximum suscepit incrementum, ita ut Salomon choros instituerit viginti canentium millium. Tempore vero captivitatis Babylonicae occidit.

Graeci etiam musica ceteris populis superiores evasere. Apud eos aspernabatur qui musicam nesciret. Imo de rebus musicis egerunt doctissimi viri et ipsi philosophi, ut Pythagoras, Plato, Aristoteles. Pernotissimae sunt symbolicæ fabellæ, quae de Lino, Apolline, Orpheo, Amphione, Marsia feruntur. Praesertim ad cultum deorum, amorem patriæ et huma-

¹ Gen., cap. IV, 21.

nitatis profectum fovendum Graeci musica usi sunt.

Romanorum musica ex connubio Etruscorum et Graecorum orta est. Nullam rem novam nullumque profectum experta est. Musicam tamen artem Romani adamarunt, sed ad somitem mollitiae atque corruptelae. Imperatores ipsi musicam coluere, inter quos enituit hostis ille humanigenis, Nero.


Interdum nova musicae forma enascebatur ex catacumbarum obscuritate, in quibus primi christiani orabant et cantabant. Erat musica mere vocalis, absque dubio orta ex canticis hebraicis, graecis et latinis, sed propriam exhibens formam figuramque novarum significationum novorumque affectuum. Initio igitur musica christiana fuit homophona et vocalis. Silvester I cantorum scholam Romae instituit; et Ambrosius, episcopus Mediolanensis, ecclesiarum cantui stabiles normas imposuit. Augustinus Mediolani quantum flevit in hymnis et canticis, suave sonantis Ecclesiae vocibus acriter commotus!¹

Exeunte iv saeculo, Gregorius papa I monumenta Patrum renovavit et auxit. In unum collegit ecclesiasticos cantus, quosdam ex se composuit, et vulgavit Antiphonarium. Hoc opus fundamentum musicae sacrae semper exstitit. Insuper promovit scholam cantorum, quorum peritiores discipulos diversas in ecclesias misit, et ita per universum orbem cantus gregorianus diffusus est. Hic cantus est velut lapis seiungens artem antiquam atque ethnicam ab arte nova, eaque christiana.

(Ad proximum numerum).

G. LEPORE.

¹ Confess., lib. IX, cap. 6.



Non est, ut putas, virtus, pater,
Timere vitam, sed malis ingentibus
Obstare, nec se vertere, ac retro dare.

SENECA (Phoen., I, 1).

EX BATAVIA

De certamine poëtico Hoeufftiano

ANNI MCMXXVIII.

Accepimus, et libenter edimus:

De quadraginta duobus carminibus anno MCMXXVIII ad certamen poëticum Hoeufftianum missis, ita est iudicatum.

Praemium aureum reportavit nemo; sumptibus legati in volumen recipientur carmina q. t. *Ad astra et Satira ad Tulium*, si poëtae eorum scidularum apriendarum dederint veniam. Ecce index titulorum ceterorum carminum: *Iesus cruci affigitur*, *Leoni XIII quinto et vicesimo anno ab Eius obitu*, *In laudem S. Constantii abbatis Caprearum patroni carmen*, *Parthenias*, *Polum versus*, *Ultima nox*, *Redemptio*, *Ecloga*, *Navis Vergili*, *Isacides pastor*, *Caelum serenum*, *In Mexicanam insectationem*, *Infida coniux*, *Diva Theresia a Iesu parvula*, *Gladiator Pompeianus*, *Epistula patri exsuli*, *Pervigilium*, *Sappho sallans de promontorio Leucadio*, *Roma post Cannas*, *Vidua mater*, *Cestilia*, *Pilatus*, *In volantem currum Italianam*, *Ad aram patriae sacram*, *Sabini ruris luctus seu Maecenatis desiderium*, *Malmgreen*, *Terraefilius*, *Nymphae monitus*, *Sacer vultus*, *Laertiades*, *Ad arios nautas*, *Gracilis avena*, *Pan et Syringa*, *In Dantem Aligherium*, *Bromius blandi largitor muneris*, *Paupere sub tecto cena*, *De matris viduae deliciolis*, *Aves*, *Herculanum resurgens*, *Ichnusa*.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante Kal. Ian. a. MCMXXX mittantur ad het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippen-


huis, Amsterdam, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae in transscribendo portabile prelum britannicum (*type-writer*) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, si scidulae aperienda venia dabitur. Id autem ante Kal. Iul. proximas fieri debet.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Aprili pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non in volumen receptis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, die 1 m. Maii a. MCMXXIX.

J. J. SALVERDA DE GRAVE,
Ord. lit. acad. reg. ab. actis.



IN MEMORIAM IULII SALVADORI

Gravi nuper affecta est dolore Italorum schola Magistri optimi atque doctissimi morte, quum novus a recipientibus fasces instauratus ordo integros viros bene sibi consicos, adulescentium animos verbis regentes exemplo trahentes desideret.

Fuit enim Iulius Salvadori species optima magistri, qui parentis animo, apostoli fervore quinquaginta fere annos innumerabiles instituit discipulorum coetus, sacram in omnibus pietatis veritatisque flamمام excitando atque alendo.

A Gymnasio Lyceique munere ad reconditionem progressus Athenaeorum doctrinam, semper et ubique mentis cordisque opes liberalissime profudit, neque un-

quam valetudinis imbecillitati pepercit, donec, ut fortis miles, in campo honeste concidit.

Praeclara nunc tacet vox, at eius imago perpetuo in amicorum, admirantium fideliisque animis discipulorum suaviter personabit, itemque omnium qui eius opera, Dei veneratione caritatisque ardore subnixa, lucis et amoris fontem caputque iure existimabunt.

Referant nunc porro nostrae litterae, quum Praestantissimi obitu aequius probabuntur merita, in optimorum numero, quae inscribuntur opera - *Carmina civilia* - edita anno MDCCCLXXXIX, atque - *Memoriae humilis Italiae* - editae a. MCMXVII, ubi humanitatis nostrae maximae praedicant gloriae extolliturque Christi doctrina, vis omnis vitae cultus sane praecipua.

Liceat igitur mihi in choro egregio amicorum observantiumque laudatorum, qui iam de eo dignissime dixerunt, aliquid addere vocis numerorum et pedum moderatione, « si quid - ut Horatius ait - loquar audiendum » ad debitum ingenio eius praestandum honorem:

Ergo vivida mens, lumina dulcia
morte oppressa gravi perpetuo Tibi?
Nunquam vox resonet lucis et omnibus
ardoris tribuens opes?

Immo vivit eritque alma Dei fides
spirans nobilibus carminibus Tuis,
Francisci additae iam militie bonae,
Te qui mense tulit suo.

Templum nunc pateat promeritum Tibi
famae, lumina qui fulgida ad Italum,
Dantem aevoque recens Insubrium decus,
flexisti ingenii ratem.

Vitae cui bonitas, tum verecundia,
flagrans, rite latens, provida caritas,
ingens officio sedulitas data
quando ullum similem dabit?

*Dulces nunc facient nempe Deo preces
natae, quas miseri in vincula, proh! dati
liquissent domitas praecepiti mala,
vindex Tu nisi maximus.*

*Praestans, qui innumerat ad patriae et Dei
cultum discipulorum extuleris manus,
multi sint similes in patria Tui
doctores, animis salutis!*

*Surgens religione Italiae favens
sidus, fatidicum Te usque habeat ducem
exin o iavenum, vel superare avos
armis et fide qui volunt!*

NAZARENUS CAPO.

COLLOQUIA LATINA

Iactus lapidum aut discorum ad metam.¹

MATTHAEUS. - Quo Iusu hoc pomeridianum tempore oblectabimur?

VITUS. - Ut nunc fert anni tempestas, lapidem mittamus ad metam terrae defixam.

MATTH. - Non displicet Adiungamus nobis Romulum et Ioannem.

VIT. - Huc adeste, Romule et Ioannes; placetne colludere?

ROMULUS. - Ea ipsa causa huc convenimus, vix sumpto bene prandio.

IOANNES. - Sunt mihi lapides duo permodi.

MATTH. - Ego mihi quaero et aegre invenio.

IOAN. - Ego te altero meorum dono: accipe. Experiens an modulus sit.

MATTH. - Habeo gratiam. Ego et Vitus una in vos certabimus.

¹ Ex ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus. Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

ROM. - Per nos, licet; agesis, vos priores iacite.

MATTH. - Auspicabor. Faxit Deus ut feliciter cedat. Ohe? optime cecidit.

IOAN. - Brevi te hoc lapide praetervertere.

MATTH. - Hac lingua existimo.

IOAN. - Etiam, hac manu.

MATTH. - Accedis, fateor; non tamen praetervertisti me. Et tu fac adiicias, Vite; nullo negotio alias vincemus. Huc in pedis mei iace vestigium, aut inter utrumque hunc lapidem.

VIT. - Tentabo si quid potero.

MATTH. - O iactum optimum et commendandum! Vicimus duobus.

ROM. - Ad oppositam metam tantumdem et nos praestabimus.

MATTH. - Iustum perverte iactum, si potes.

ROM. - Eia! lapis meus adhaeret metae.

MATTH. - Meus item est proximus.

ROM. - Sed longiore intervallo.

MATTH. - Metiamur.

ROM. - Cedo virgulam, aut stramen aliquod, Vite, ut metiar.

MATTH. - Dum arenam decutis, furtim protudis lapidem tuum. Flatu pulvis dimovendus erat.

ROM. - Salva pace tua, nondum etiam lapidem attigi.

MATTH. - Viden? Nihil est discriminis. Vis redintegrare iactum?

ROM. - Nolo; sed dijudicent arbitri. Accede hic aliquantisper, Laurenti: lapidum horum uter est metae vicinior?

LAURENTIUS. - Vultis meo stare iudicio?

MATTH. Stabimus.

LAUR. - Quantum visu assequor, est ille propinquior.

ROM. - Nonne dixeram? Tu, Ioannes, nunc, si possis, hunc depellito; et primas tenebimus.

IOAN. - Metuo ne dum Matthaei peto lapidem, una tuum disiiciam.

ROM. - Audaces fortuna iuvat... Ne

metue. Malum! Sunt tibi vires ergo? Quin adiicias?

IOAN. - Timida manu misi ob periculum.

ROM. - Inepte meticulosus es.

MATTH. - Hunc si praeterverteris, Vite, te virum praestiteris. Successit. Eius lapis minimum palmo propinquior est omnibus. Tota nostra est Victoria.

ANNALES

Conventus.

Proximis diebus Lutetiae Parisiorum habitus est « peritorum » conventus ad Germanorum rogationes examinandas de imminuendo pretio ad belli damna resarcienda Germanis constituto. Quorum legatus Schact, post plures habitas disceptationes de oeconomica Germanorum vi, novis, iisque favorabilioribus, ei propositis rationibus ne contentus quidem, conatus est singulas pactiones cum singulis creditoribus Statibus inire. Quum vero condicione ab eo latae illae essent, quae vix debita Americis solvenda in summam aequaliter, ita ut nihil reficiendis damnis superesset, infecta res evasit.

Meliorne exitus continget Genevensi coetui, qui communes pactiones de deponebendis armis quaerit? Americanorum legatus professus est Foederatarum suarum Civitatum gubernium promptum paratumque esse ad navales belli apparatus radicibus minuendos, dummodo pariter quodvis belli genus levetur; huic vero sententiae, ut iam Italica, ceteraene gentes accendent?...

Coetus quoque Societatis Nationum oeconomicus Genevae nunc est congregatus.

Civilia bella.

De civili Sinensi bello nunciatum est, Hankow rebellem civitatem in « Nationalistarum » ditionem venisse, qui itaque sine sanguinis effusione eam in potestatem suam redegerunt. Ex Mexicana autem republica voces feruntur, gubernii exercitus de factiosis copiis rationem habuisse, quarum principes vel arma cedunt, vel salutem ex fuga apud Civitates Foederatas Septentrionalis Americae petunt.

Pacis pignora.

Interim pacis pignora habita sunt tum inter Graeciam et Iugoslavorum regnum, amicitiae foedere inito; tum inter Italianam et Angliam et Turcarum rempublicam, quarum administris Italicum gubernii ducem iniserunt, et communem animum de pace omnibus populis procuranda invicem confirmarunt.

POPICOLA.

VARIA

Militis cuiusdam virtus.

Quidam miles, Romanus nomine, ad explorandum hostium exercitum praemissus, dum limosam lacunam agrestibus arundinibus obsitam transit, ingentem strepitum audivit, leonis causa editum, qui cervum insequutus in eam paludem fuerat. Romanus vero, id nesciens, latentes ibi hostes in insidiis ratus, ad exercitum reversus est, et aliquot sibi socios assumens itemque igni genus vel in aqua ardentes, tacite ad opportunissimas arundines illum admovit; deinde navem repetit. Postero mane reversus cum nonnullis sociis,

omnem paludem combustam vidi, praeter partem flammis intactam. Quamobrem, quidnam ibi lateret inspicere statuens, districto gladio sagumque brachio altero gerens, ad locum cum suis accessit. Forte ibi erat leo, qui flammis vitandis impar, in partem illam confugerat, ubi fumo excaecatus rabie flagrabit. His praetereuntibus ad vocis sonitum erupit. Romani socii fugerunt: ille vero restitit, et projecto sago in belluae fauces, seque a latere paulum converso, ut viam praeberet, leonis dorsum gladio ita percussit, ut bellua stando impar humi conserderit; quod socii videntes, statim regressi, letho eum omnino dederunt.

X.

Lupus et agnus.

Sitis levanda causa agnus ad rivum venerat. Rem animadvertisit lupus, eodemque accessit quasi bibiturus. Exterritus agnus, totisque tenellis artibus contremiscens, nec caput, nec pedes, nec caudam, movere audebat. Lupus illius lacerandi causam quaerens: — « Non possum — inquit — huic bibitum venire, quin hic etiam adsit, qui lutulentis suis pedibus aquam turbet ». Agnus, quem animum a pavore recepisset, respondit: — « Quid ais, Iupe? Nunquam te hic bibentem vidi. Neque id verum est, me aquam pedibus turbare; eam pedibus non tetigi; extremis labiis vix libavi ». — « Mentiris, impudens; turbida ad me decurrit aqua ». — Haud sanus es, Iupe, qui haec effutias. Nonne tu superior es, ego inferior? Aqua non sursum, sed deorsum fluit ». — « Non te pudet, ubera sugentem, me senem docere? Sit ita sane, ut dicis; verum inficiari nequis, te ante hos sex menses, quem ante ovile transirem, maledictis e fenestra me fixisse ». — « Quid memoras, Iupe? Nondum natus eram ». — « Lingua, velim, tibi excidat. Oves et agni sunt mali omnes; verum pe-

iore, quam tu es, adhuc nactus sum nullum. Tantum ergo scelus patravit pater tuus, eiusque culpam tu sustinebis ». His dictis eum corripuit atque discerpsit.

Vae imbellibus, quum hominum, qui iniqui sint et potentes, in manus incident!

G.

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

*Pasta regia bovillo iure perfusa.
Agninae costulae obsoniaque varia
fricta.*

Aselli marini elixi, salsa muria conditi.

Gallina aegyptia assa cum solanis tuberosis recentibus.

Crenum Bavanicum palmulis ornatum.

Iocosa.

Tuccius in schola. Postquam magister geometriam explanavit formis describendis, eum interrogat: — Heus tu, quid est rhombus? — Piscis est meo gustui ingratissimus.

Tuccio condiscipulus: — Pater meus cor aureum possidet. Tuccius: — Pretiosior meus, cui praeter cor aureum sunt argentei capilli!

Aenigmata.

I

Bis natum rubet et gestit, quod victa decorat, Nugas aut facinus, leges documentave tradit. Servitio vacuum nulla retinetur habena.

II

Magni est, exornat, nigro splendore coruscat; Oris obliquus perfluit in Siculis.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Plaga*; 2) *Remus*.

STANISLAUS FUGIENS

[14]

DRAMA HENRICI NOZZII, S. I.

FULCIUS.

Factum.

PAULLUS.

Accipe,

Bilinski, resigna, perlege, namque ego metu Nescio quo totus horreo.

NAEVOLUS.

(Hui! ipsi tremet)

Etiam manus! ut in facie totus palluit!

FULCIUS.

Nunc res patebit.

BILINSKIUS.

Animum advorte huc.

PAULLUS.

Istoc, si possim, ago.

BILINSKIUS.

« Nolo, frater, hoc tute tecum existumes ...

FULCIUS.

Expecta paullisper.

BILINSKIUS.

Quid rei est?

FULCIUS.

An non prius

Salutem scripsit?

BILINSKIUS.

Verum: legere omiseram.

« Stanislaus Paullo salutem suavissimo fratri suo ».

PAULLUS.

Estne istuc istic scriptum?

BILINSKIUS.

Hem specta, tum scies.

FULCIUS.

Iam inde a principio plena officii epistola est.

BILINSKIUS.

« Nolo, frater, hoc tute tecum existumes,

« Meme odio tui aut aliquo fortasse taedio

« Id consili cepisse, ut abs te discederem ».

PAULLUS.

Vel id quoque ignorare me,
Qua causa frater, quo consilio, qua spe, vel
[quo denique
Hoc iter incoepit.

BILINSKIUS.

Miror te adeo istis pertubarier,
Perinde quasi...

SCENA V.

NAEVOLUS, BILINSKIUS, FULCIUS, PAULLUS.

NAEVOLUS.

Haeus, heus, sinite Naevolum statim ad vos
[ingredi.

BILINSKIUS.

Ecquid demum affers novi?

NAEVOLUS.

Credo quod permagni vestra interest.

FULCIUS.

Agedum, quid habes?

NAEVOLUS.

Stanislai litteras.

PAULLUS.

Verum? Quis reddidit?

NAEVOLUS.

Nemo: in eius conclavi interiore positas forte
[reperi.

FULCIUS.

Vix fidem habeo.

BILINSKIUS.

Produce.

PAULLUS.

Ubi sunt?

NAEVOLUS.

Eccas; ipsus quæso
inspice,

Nosce signum: estne eius?

PAULLUS.

Est certe.

PAULLUS.

Respirare incipio iam nunc.
FULCIUS.

Debes merito.

BILINSKIUS.

«Quin testor superos me discedentem nihil
«Adeo anxium habuisse, quam quod tibi et
[patri]

«Doloris magni caussam hoc discessu darem».

FULCIUS.

Quam blande in sinum descendit haec oratio!

BILINSKIUS.

«Verum id perficere studeo, quod nimis diu
«Laevus distuli, res ut mortales abdicem,
«Loiolidum et in aliquam tandem excipiar

[domum].

PAULLUS.

O frater!

BILINSKIUS.

At at, hoc est; in mentem venerat
Paene suspicari.

FULCIUS.

Propemodum etiam istuc mihi.

NAEVOLUS.

(Rei cognitae hariolos rideo).

PAULLUS.

Perge obsecro.

BILINSKIUS.

«Hoc te patremque ut celarem efficit timor,
«Ne vester amor votis forte-obstaret meis;

«Et quod restabat unum clam cepi fugam.

«Nunc primum etiam atque etiam te rogo,

[frater optime,

«Ut omnem exuas ex animo sollicitudinem:

«Deinde per ego te, perque amorem obtistor

[tuum,

«Ut quidquid hac in re utcumque peccasse

[videar,

«Item ut in ceteris, bonus ignoscas mihi».

PAULLUS.

Ignotis mihi miscetur pectus motibus.

BILINSKIUS.

«Quod si me unquam crederem de te meri-

cibis satis, et apud te ob tum bene,

«Rogarem, deprecator ut essem apud patrem,

«Aut mitigares vulnus, quod invitus afferam.

«Tua benefacta mihi nunquam e memoria
[excidet,

«Et dum vitam hanc colam, frater suavissime,

«Quantas potero maximas, habeo gratias».

PAULLUS.

Non teneo lacrimas.

FULCIUS.

Non teneret vel lapis.

BILINSKIUS.

«Te Deus, meumque patrem sospitet. Vale.

«Illi queis sentio me debere plurimum

«Et fateor, Bilinsko, Fulcio atque Naevo,

«Salutem impertias multam meis verbis ve-

[lim].

NAEVOLUS.

Men' quoque nominat? Meliorem ah! nus-
soy ha mira mala [quam inveniam herum.

FULCIUS.

Nescio quid ego dicam.

BILINSKIUS.

Mihi quoque mens stupet.

PAULLUS.

Quid hoc negoti est? Omnino me sentio

Alium repente esse ab eo, qui fueram prius.

Incident pectus penitus dolor, amor, pudor;

Nec satis una in re possum conquiescere.

O frater, frater! si te amassem, ut debui,

Num tu adeo amare memet potuisses magis?

Ast ego improbus odi mores verecundos tuos,

Ingratus, asper, maleficus, iniurius tibi.

Et potui? nec saltem puduit? nunc tamen

[pudet

Ac dolet, frater. I felix, quo te caelites

Ducunt prodigiis, et auspices monstrant viam.

BILINSKIUS.

Nos etiam idem istuc adprecari possumus.

FULCIUS.

Immo et debemus.

NAEVOLUS.

Vos valete, et plaudite.



FINIS.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.